



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De  
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. XLV. Quòd omnibus non est credendum: & de facili lapsu verborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](#)

mundus crucifixus sit. Multa etiam oportet surda aure pertransire, & quæ tuæ pacis sunt magis cogitare. Ut ilius est oculos à rebus displicentibus auertere, & vnicuique suum sentire relinquere, quām contentiosis sermonibus deseruire. Si benè steteris cūm Deo, & eius iudicium adspexeris, faciliùs te victum portabis.

3. O Domine, quousque venimus? Ecce damnum defletur tempore, pro modico quæstu laboratur & curritur, & spirituale detrimentum in obliuionem transit, & vix serò redditur. Quod parum vel nihil prodest attenditur, & quod summè necessarium est, negligenter præteritur: quia totus homo ad externa defluit, & nisi citò resipiscat, libens in exterioribus iacet.

## C A P. X L V.

*Quòd omnibus non est credendum: & de facili lapsu verborum.*

Ps. 59. **I**D A mihi auxilium Domine de tribulatione, quia vana salus hominis. Quām sæpè ibi non inueni fidem,

fidem, vbi me habere putaui? Quoties etiam ibi reperi, vbi minus præsumpsi? Vana ergo spes in hominibus, salus autem iustorum, in te Deus. Benedictus sis Domine Deus meus in omnibus, quæ accidunt nobis. Infirmi sumus & instabiles, citò fallimur & permutamur.

2 Quis est homo, qui ita cautè & circumspectè in omnibus se custodire valet, ut aliquando in aliquam deceptionem vel perplexitatem non veniat? Sed qui in te Domine confidit, <sup>Pro. 10</sup> ac simplici ex corde quærerit, non tam facilè labitur. Et si inciderit aliquam tribulationem, quocumque modo fuerit etiam implicatus, citius per te eruetur, aut à te consolabitur: quia tu non deseres in te sperantem usque in finem. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perseverans pressuris. Tu Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus, & præter te non est alter talis.

3 O quam benè sapuit sancta illa anima, quæ dixit: Mens mea solidata est, & in Christo fundata. Si ita <sup>In vita</sup> <sub>S. Aga-</sub> mecum foret, non tam facilè timor <sub>tba.</sub> humanus me solicitaret, nec verbo-

rum iacula mouerent. Quis omnia  
præuidere, quis præcauere futura ma-  
la sufficit? Si præuisa sæpè etiam læ-  
dunt, quid improvisa nisi grauiter fe-  
riunt? Sed quare mihi misero non me-  
liùs prouidi? Cur etiam tam faci-  
lè aliis credidi? Sed homines sumus,  
nec aliud quām fragiles homines su-  
mus, etiamsi angeli à multis æstima-  
mūr & dicimur. Cui credam Domi-  
ne? cui, nisi tibi? Veritas es, quæ  
non fallis, nec falli potes. Et rursum,  
omnis homo mendax, infirmus, in-  
stabilis, & labilis maximè in verbis:  
ita ut statim vix credi debeat, quod re-  
ctum in facie sonare videtur.

*Mich. 7* 4 Quām prudenter præmonuisti,  
cauendum ab hominibus: & quia  
inimici hominis, domestici eius: nec  
credendum, si quis dixerit: Ecce hīc,  
aut ecce illic. Doctus sum damno  
meo, & vtinam ad cautelam maiorem,  
& non ad insipientiam mihi. Cautus  
esto ( ait quidam ) cautus esto, ser-  
ua apud te quod dico. Et dum ego si-  
leo, & absconditum credo, nec ille  
filere potest, quod silendum petiit,  
sed statim prodit me & se, & abiit.

Ab

Ab huiusmodi fabulis & incautis hominibus protege me Domine, ne in manus eorum incidam, nec umquam talia committam. Verbum verum & stabile da in os meum, & linguam callidam fac a me. Quod pati nolo, omnimodè cauere debedo.

5 O quam bonum & pacificum de aliis silere, nec indifferenter omnia credere, neque de facilis ulterius effari: paucis seipsum reuelare, te semper inspectorem cordis querere: nec omni vento verborum circumferri, sed omnia intima & externa, secundum placitum tuæ voluntatis, optare perfici. Quam tutum, pro conseruatione cœlestis gratiæ, humanam fugere apparentiam, nec appetere quæ foris admirationem videntur præbere: sed ea, tota sedulitate sectari, quæ vitæ emendationem dant & ferorem.

*Pro. 25  
& Isa.  
24.*

6 Quam multis nocuit virtus sci-  
ta, ac præproperè laudata? Quam sa-  
nè profuit gratia silentio seruata in  
hac fragili vita, quæ tota tentatio fer-  
tur & militia?